

ad honorem Dei, & exaltationem Catholicæ Fidei, quietum statum partium prædictarum ad salutis animarum fidelium incrementum de ipsorum fratrum Concilio auctoritate Apostolica statuimus, & ordinamus. Quæ verba satis clarè designant hoc non esse priuilegium, sed legem communem, maximo consilio & consideratione ab Ecclesia Romana editam. Et in proemio Clementinarum præcipit Summus Pontifex, quod omnes Clementinæ [nulla excepta] recipiantur, ut in scholis, & in iudicio per eas gubernentur: quod solum dicitur de legibus Ecclesiasticis. Item probatur: Nam Concilium Tridentinum loquens de quarta funeralium à Mendicantibus soluenda, præcepit, quod soluatur non obstante quocumque priuilegio. Ex cuius mente colligitur, Concilium appellare dictam Clementinam, legem, prout distinguitur contra priuilegium. Quod probatur. Quarta enim soluitur per dictam Clementinam: & Concilium Tridentinum vocat priuilegia omnia indulta contra eam obtenta, supponens ipsam esse legem communem. Et confirmatur. Nam quæro à Dominis Episcopis, quo iure debet quarta Parochis? Certe respondent, quod iure cõ-